

B. N. II, 166.

H. 48, 10.

X 1880626



2. D. B. V.

DE.

# CONTRACTI- BUS. PRINCIPUM.

RECTORE. MAGNIFICENTISSIMO.

SERENISSIMO. PRINCIPE. AC. DOMINO.

DN. IOHANNES. GVILIELMO.

DUCE. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ.

AC. MONTIUM. ETC. ETC.

SUB. PRÆSIDIO.

DN. GEORGII. ADAMI. Struven.

JCTI. CONSUMMATISSIMI.

SERENISSIMORUM. DUCUM. SAXO-VINARIENSIVM. CON-

SILIARII. INTIMI. ILLUSTRISSIMI. REGIMINIS. AC. CONSI-

STORII. SAXO-JENENSIS. PRÆSIDIS. EMINENTISSIMI. FA-

CULTATIS. JURIDICÆ. ET. SCABINATUS. ORDINARIII.

MERITISSIMI. UT. ET. CURIÆ. PROVINCIALIS.

ET. SCABINATUS. ASSESSORIS.

GRAVISSIMI.

DN. PATRONI. ET. PROMOTORIS. SUI. SUMMO. OB-

SERVANTIÆ. ET. OBSEQVIL. CULTU. ÆTATEM.

PROSEQVENDI.

IN. INCLYTA. SALANA.

AD. D. SEPTEMBR. M. DC. LXXIX.

PUBLICE. DISPUTABIT.

GEORGIUS. FORSTER. ONOLD. FR.

AUTOR. ET. RESPONDENS.

JENÆ. EXCUDEBAT. GEORGIUS. HEINRICUS. MÜLLERUS,

*de Contractibus Principum Vol. XV. 6.*



SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO.  
D O M I N O.

CHRISTIANO.  
ALBERTO.

MARCHIONI. BRANDENBUR-  
GICO. MAGDEBURGI. PRUSSIÆ. STE-  
TINI. POMERANIÆ. CASSUBIORUM.  
VANDALORUM. AC. IN. SILESIA.  
GROSNIÆ. SCHWIBUSII.

D U C I.  
BURGGRAVIO. NORIBERGENSEI.  
PRINCIPI.  
HALBERSTADENSEI. MINDENSEI.  
ET. CAMINENSEI.

COMITI.  
HOHENZOLERANO.

PRINCIPI. AC. DOMINO.  
CLEMENTISSIMO.

CUJUS. VITA PATRIÆ. EST. FELICITAS.

ET.

CUJUS. FELICISSIMIS. AUSPICIIS.

OMNIA. SUBDITI. DEBEBUNT.

DISPUTATIONEM. HANCCE. JURIDICAM.

DE.

CONTRACTIBUS. PRIN-  
CIPUM.

IN.

HUMILLIMÆ. SUBJECTIONIS. DECLARATIONEM.

DEVOTISSIMÆ. OBSERVANTIÆ. SIGNUM.

UT. ET.

ULTERIORIS. GRATIÆ. IMPLORATIONEM.

SUBMISSA. ANIMI. DEVOTIONE. CONSECRARE. DEBUIT.

*SERVUS. ET. SUBDITUS.*

*SUBJECTISSIMUS.*

GEORGIUS FORSTER.



## PROOEMIUM.

**D**iu multumque deliberans, quam potissimum materiam ad disputandum proponerem, illud mihi plane accidere sensi, quod nescio qui, verè tamen quisquis ille sit dixit: *Inopem me copia facit.* In hac copia & ubertate argumentorum tandem in augustam pariter ac utilissimam de CONTRACTIBUS PRINCIPUM materiam incidì, operæ pretium me facturum iudicans, si tractationem illorum sub incudem vocare, simulque quæstiones controversas circa eandem materiam occurrentes, enodare tentarem. Fateor equidem ingenuè ac lubens, argumenti hujus gravitatem difficultatemq; ingenium meum facile deter-

A

rere

rere potuisse, accedit & his periculi  
 metus, me in crimen sacrilegii incur-  
 furum, ex haud probè intellecta *L. 3.  
 C. de Crim. Sacril.* quasi potestatem  
 Principum in dubium vocare, eorun-  
 demq; negotia ex nimia licentiosa au-  
 dacia contemtuque carpere animus  
 esset: At non sane mea hæc inten-  
 tio; neque animus mihi de legibus la-  
 tis, casibus & factis decisis detrahen-  
 do aut reprehendendo disputare, sed  
 saltem contractus Principum, quate-  
 nus juri ac æquitati sint conformes,  
 jusque tertii lædere non debeant, in  
 thesi examinabo, & reliqua, quæ de  
 hac materia notatu dignissima repe-  
 riantur, paucissimis afferam. Hisce  
 obiter suppositis divini numinis auxi-  
 lio, ut suâ gratiâ instituto nostro  
 aspirare velit, fretus,

pono

CAPUT



## CAPUT PRIMUM

EXHIBENS

# TERMINORUM EXPLA- NATIONEM.

§. I.


**N**eminem res probe intelligere posse, nisi & sensum verborum prius cognoverit, jam suo ævo non sine ratione monuit Iustus Ulpianus in *l. 1. ff. de J. & J. l. 1. ff. de R. C.* Quippe solenne hoc esse ipsis quandoque legibus & omnino facere ad uberiores ipsius rei intellectum, & ad enodandos plerosque juris laqueos patet ex *l. 1. ff. de Acquir. possess. A. Gell. l. 13. noct. Attic. c. 10.* Ut igitur methodum rectè disputantibus communem sequamur, ante omnia nobis ponderanda venit vocum origo ac definitio.

§. II. Contractus à contrahendo dictus apud gentes & in jure nostro varia nactus est nomina. Græcis *συνάλλαγμα* vocatur *l. 7. ff. de pact.* Apud Ciceronem contractus dicuntur res contrahendæ *lib. 1. offic. & lib. 3. Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium.* Germanis dicitur: eine bündliche hin und wieder Handlung. Olden: Iusti pro contractu interdum adhibent negotii vocabulum *l. 15. de prescript. verb. l. 17. §. 3. commod. l. 5. de R. J. nec non obligationis l. 5. de J. & J.* Vi hujus posterioris significationis multi arbitrantur, haud male contractum.

A 2

â La-

â Labeone in *l. 19. ff. de verb. sign.* definiri per obligationem ultro citroque factam, hoc est mutuam seu reciprocam; sed â vero illos aberrare, nec generis loco obligationem poni posse constat, tum quia obligatio est effectus contractus *l. 1. pr. ff. d. O. & A.* & ita eo posterior, tum quia contractus est factum quoddam *l. 7. §. fin. de curat. furios.* id est tractatus quidam inter contrahentes, qualis v. g. inter emptorem & venditorem, in *l. 8. vers. quod si C. de rescind. vendit.* legitur. Obligatio vero non est facti, sed juris §. 1. *J. de oblig.* nec Labeo tradere definitionem contractus voluit, sed ipsi animus erat solum differentiam inter actum, gestum & contractum ostendere.

§. III. Rectius opinantur ii, qui statuunt, contractum nihil aliud esse quam conventionem cum causa si-ve synallagmate: i. e. tale negotium, quod super dando aut faciendo, aut utroq; simul geritur, & per se sine externo juris civilis adminiculo est efficax *l. 3. pr. ff. de oblig. & act. l. 2. pr. de V. O.* Aliis alia definitio arridet: Arist. *l. 5. Ethic.* voce συναλλάγμα  seu contractus latius est usus, dum illud verbum ad omnes omnino contractus, tam spontaneos quam invitos extendit, ita ut delicta quoque comprehendantur, quæ respectu patientis nominantur contractus involuntarii, & *l. 52. ff. de re judic.* actio rerum amotarum ex malo contractu, id est, delicto nata dicitur. Nobis relictis diversis acceptionibus fatius esto, contractum hic accipi pro quolibet actu, ex quo civilis obligatio oritur *l. 20. de judic.* quo sensu non solum pacta legitima *l. 17. C. de fid. instrum. nov. 119. c. 1.* sed & delicta & si quid aliud iis simile suo ambitu comprehendit *l. 52. de re judic.*

§. IV. Quid autem Princeps sit ratione originationis suæ, neminem facile latere posse arbitor. Communiter



niter volunt Principem dici à principio, quod primus omnium dominetur, quodque præsit. Licet lectorem alterius etymologiæ cupidum remittamus ad lexica tum philologica, tum juridica. Unde Germ. verb. Fürst à verbo Fürstehen/ quasi der andern fürstehet *Besold. in thes. pr.* sub voce Fürst: vel ab adjecto Förderst/ quasi qui primus in ordine der Fördere oder Fuhrnehmste derivatur. *Gabr. Schweder. introduct. in jus publ. part. spec. sect. 2. c. 7. §. 8.* Olim quivis præcipuus in aliquo negotio per Principem denotabatur, adeò ut Princeps legationis *Tacit. l. 1. Annal. c. 39. n. 20.* Principes delictorum darentur *l. 10. ff. de serv. corrupt.* in sequente autem ætate sanctiore cultu veneratum hoc nomen, ita, ut quoties in jure nostro Romano Principis nomen absolutè ponitur, per excellentiam solus Imperator intelligatur *argument. rubr. Et tot. tit. ff. de constit. Princ. §. sed Et quod Principi placuit l. de J. N. G. Et C.* cum quod Imperium à solo Deo teneat *Novel. 28. in fin.* id quod & innuit sublimis illa scribendi formula: Wir von Gottes Gnaden/ quæ iis tantum proprie competit, qui solum Deum & enssem superiorem agnoscunt *Chassan. in consuet. Burg. in proœm. verb. parla grace de Dieu Menoch. Conf. 2. n. 104.* addatur notabile illud *Electorum decretum anno 1338. advers. Benedict. XII. Pontif. apud Avent. l. 8.* tum verò præsertim Principis nomine solus Imperator venit, quod Christiani orbis primum sit caput *Sixtin. de regal. l. 1. c. 4.* Ein weltlich Haupt des Christlichen Volcks *A. B. c. 2.* utpote in quo omnes & dignitatis & superioritatis thesauri sunt reconditi, *Roland. à Vall. conf. 100. n. 3. Et seqq. Gæden conf. 38. n. 232.*

§. V. Attamen Principes etiam hic intellige omnes, qui habent jura Principum seu superioritatem territorialem, die Landes-Fürstliche Obrigkeit/oder des Landes Ober Herr

ber Herrlichkeit. Nam quamvis ab initio tantum horum nomina fuerant officiorum, munerum, administrationis, atque temporalia magis & ad nutum revocabilia. Myler. ab Ehrenbach de Princ. & Imp. c. 9. quo facit glossa. Speculi Saxonici verb. Nachdem die Römer alle Welt bezwungen/ haben Sie auf eine jedwede Landscheide je einen gesetzt/ welchen Sie einen Fürsten genennet haben / und Ihm etliche Ritter zugeordnet/ dieselbe hält Er dann bey sich in seiner Kost / hierzu nahmen dieselben Fürsten alle der Bezwingenen Aecker ein/ und was unter denselben zu vermiethen dochte/ das thäten sie umb einen bescheidenen Zins aus/ und hielten darvon ihre Ritter *Gloss. spec. Sax. l. 2. art. 58.* tamen postea sub Ottone I. Imperat. hæ dignitates perpetuæ & patrimoniales effectæ sunt *Myl. ab Ehrenbach d. l. n. 10.* Itaque, ut ad scopum revertar, sub appellatione Principis hic comprehendimus quoscunque qui sive regio sive alio titulo gaudentes, provincias possidentes, easque regentes, cum aliis contrahunt.

CAPUT SECUNDUM  
DE  
OBLIGATIONE PRINCIPIS  
GENERALI

§. I.

**N**on equidem nos latet, multos summi nominis Principes reperiri, qui talium Principum absolutam potestatem adeo extendant, ut nullius juris regulis circumscribi putent, *Angel. in l. Bald. in l. 2. C. de serv. & aqu.* & neminem ipsis dicere posse cur ita facis? quia sint supra jus, contra jus & extra jus & sint omnia ut  
inquit

inquit Baldus, quem sequitur *Decius conf. 137. Petra tr. de potest. Princ. c. 3. qu. 2. per tot. Caspan. conf. 66. n. 58.* Hos loquendi modos planè damnaremus, nisi ipsimet Dd. eos restringerent, nec simpliciter accipiendos esse arbitrentur. Faceffant igitur à Principe tyrannicæ vel voces vel cogitationes. *Juven. Satyr. 6.*

*Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.*

Faceffant, inquam, verba Juliae ad privignum Caracallam *si libet, licet: an nescis te Imperatorem esse & leges dare, non accipere.* Apparet enim Principes legum vinculis certo modo esse alligatos.

§. II. Leges aliæ sunt divinæ, naturales, juris gentium, aliæ civiles, inter quas quædam fundamentales sunt. Divinæ sunt iterum vel morales, vel forenses, vel ceremoniales. Moralibus Principes omninò tenentur *Deut. 17. v. 19. rex leget in libro legis omnibus diebus vitæ suæ & non deflectet ab eâ. item Jos. 1. v. 8. Psalm. 2.* Cum enim à Deo potestatem suam habet sibi commissam; Dei subditus est; Deum superiorem agnoscit: illud igitur quod Subditi, quod Vicarii, quod delegati est exsequatur, h. e. Superioris ac Domini jussui obtemperet, nec potestatis suæ limites, infringendo leges divinas morales, aut contra eas dispensando excedat. Forensium & ceremonialium observantia per adventum Servatoris sublata, nullo ipsos vinculo adstringit. Naturalibus verò tenentur legibus. Non enim earundem respectu considerandus venit ut Princeps, sed ut homo, præsertim cum ipsa Dei providentia eas voluit esse omnibus indistinctè immutabiles §. *pen. I. de J. N. G. & C.* Nisi propter plenitudinem potestatis in hoc prærogativa gaudeat Principem putemus, & per consequens nefaria Caracallæ

callæ

callæ & Tiberii fratricidia; detestandam Caligulæ cum  
 fororibus & Neronis cum matre libidinem; in summa  
 Augusti, Tiberii, Vitellii, Titi Vespasiani Sodomiam ap-  
 probemus, adeoque Principes stupra, incestus, furta, cæ-  
 des & similia ex illicitis licita facere posse statuamus.  
 Quæ opinio etiam Ethnicis abominabilis fuit, qui Prin-  
 cipis auctoritatem tanti non fecere, quam judicia naturæ.  
 Claudius Agrippinam ducens, decretum in Senatu ob-  
 tinuit, quo justè inter patruos fratrumque filias, impo-  
 sterum nuptiæ haberentur, cuique venia talium conju-  
 giorum concessa. Neque tamen repertus est, inquit  
 Tacitus, nisi unus (Svetonius duos commemorat) talis  
 matrimonii cupidus Talladius Severus Eques Rom.  
 quem plerique Agrippinæ gratia impulsum ferebant.  
 Idem dicendum de jure gentium primævo & secunda-  
 rio, quo conventionum fides, pacta & contractus nitun-  
 tur. Huc eum ipsa natura, huc dignitas impellit. Ni-  
 hil enim magis naturæ consentaneum; nihil dignitati  
 magis conveniens, quam quæ placuerunt servare etiam  
 cum sui detrimento. Et quomodo qui ipse mutæ fidei  
 inter privatos & legum omnium vindex omnibus exem-  
 plo est, à se datam fidem ac promissa non servaret?

§. III. Cæterum legibus civilibus solum faci-  
 mus summum Imperatorem prout & olim fuit, *Argum.*  
*in l. Princeps 31. ff. de ll. nec non Principes qui in suis terri-*  
*toriis eadem potestate gaudent, quâ Imperator in suo*  
*regno D. Zas. conf. 1. n. 21. & conf. 15. n. 51, 52, & 53. in 2. vol.*  
*Hippol. criminal. in §. 1. n. 452. & n. 453.* ita tamen ut distin-  
 guamus inter potestatem ordinariam & extraordinari-  
 am. Ratione potestatis ordinariæ digna vox est majesta-  
 te regnantis legibus vivere, se legibus alligatum profite-  
 ri §. ult. 7. quibus modis testamenta infirm. l. 4. C. de ll. & ut  
 quis

quis sibi omnia subiciat, se subicere debet rationi. *Senec. epist. 34.* Ratione autem potestatis extraordinariæ Principes omninò profiteamur legibus solutos, ita ut urgente publicâ necessitate & sanâ ratione aliud svadente, se non adstringere debeant ad legibus circumscriptam potestatem; sed liberrimè exercere possint, quicquid summum Imperium & suprema illa lex salus populi jubeat. Et hoc est quod voluit *Justinianus in novell. 105. circa fin.* Deum ipsas leges Imperatori subjecisse. Potest etiam tolerari illorum interpretatio, qui Principem eatenus legum solutum faciunt, quâ ea, quibus agendis alii lege tenentur, ille suæ spontis sponte agere vellet. *Erasm. in conviv. fabulos. circa med.* Juvant præterea quæ refert *Limn. lib. de jure publ. 2. c. 8. n. 44.* de coalescente hominum congregatione, quæ cum veluti moles quædam rectore indigeret, præfectus est, qui male acturus non esset, quia probus; nec ignorans, quia prudens; nec coactus, quia constans, fortis & tantâ prudentiâ subnixus.

§. IV. Superfunt adhuc leges fundamentales & his teneri Principem arbitramur, quia sunt fundamenta reipublicæ & confociationis. *Reink. de reg. sec. & eccles. l. 1. cl. 3. c. 12.* quibus gubernatores intra muneris & officii sui rationem continentur, *Cluten. in syl. rer. concl. 16. in exeg. l. c.* Ejusmodi leges fundamentales erant olim in regno Israelitico de duodecim trib. conservandis: de bonis extra tribum suam non alienandis, *Num. 36. v. 9.* de Rege non extraneo, sed ex tribu Judæ & stirpe Davidis eligendo. *Deut. 17. v. 14. & seqq. 1. Chron. 28. v. 4. 2. Sam. 7. v. 12.* Veteris Romanæ reipublicæ erant leges regiæ. Ad has leges fundamentales referenda est in sacro Romano Imperio Aurea Bulla Caroli IV. constitutio pacis  
B
religi-

religiosæ & profanæ, aliq̄ue Imperii recessus statum̄,  
 publicum principaliter concernentes: item capitulatio  
 Imperatoris cum Imperio inita, quæ quid præcipuè di-  
 ctet, videri potest in legibus Carolo V. præscriptis apud  
 Sleidanum ad Ann. 1519. In Gallia inter leges Imperii  
 refertur lex Salica, de trium statuum conventu, de non  
 alienandis regni partibus & provinciis, veluti columnis.  
 Quod si hanc legem violare fas fuisset, violassent illam, fi-  
 liarum gratiâ, Philippus Longus, Carolus Pulcher, Lu-  
 dovicus XIII. iisque regnum dotale reliquissent. Et  
 quamvis id tentavit Carolus VI. qui, excluso Delphino,  
 Catharinæ filia, quæ Heinrico Angliæ Regi desponsata  
 fuerat regnum in dotem dedit: attamen irrita illa dona-  
 tio fuit, quia contra leges status atque imperii facta,  
 quas tamen servare Rex juramento promittit. *Franciscus  
 Hottomannus l. 1. de antiq. Jur. regn. Gall. Bodin. 1. de rep. 8. n.  
 88. Poloniæ leges fundamentales extant in l. 1. statut.  
 Polon. c. 2. Danorum habet Lauterbach. 1. de Rep. 15.  
 Hungarorum Anton. Bonfinius l. 9. decad. 4. Reip. Bel-  
 gicæ enumerat Althus. in polit. c. 15. p. 180. His adden-  
 di Bodinus d. l. Stephanus Junius Brutus in Vindic. contra  
 Tyrann. qv. 3. Summa; nulla hodie datur respublica, quæ  
 ad certas leges fundamentales & capitulationes ( ut vo-  
 cant ) juramento non adstringatur. Althus. d. l. Danaus 3.  
 polit. Christ. 6. p. 218. Nec audiendi sunt ii qui tale jura-  
 mentum à Principe præstitum, summæ ac legibus solutæ  
 potestati minimè conveniens esse putant, illis enim cum  
 Hottomanno respondeo, nullam ferè gentem præter  
 Turcicam ita stupidam ac barbaram esse quæ non in Re-  
 ge inaugurando, aliquam ab illo regni conservandi fi-  
 dem ac jusjurandum exigat. Juravit ipse Trajanus Au-  
 gustus: juravit ipse populus in leges, cum tamen sibi  
 seipsum obligare non possint.*

§. V. Cum ergo per superius allegata constet, quemadmodum Principis potestas se legibus soluta profiteatur, manifestumque sit eum jure naturali æque ut alium quemvis subjacere, & in eo sensu inter Principem & subditum nullam dari disparitatem, ideo conclusio urget, Principi nullum dominium competere in bona subditorum, ut absque justâ causâ jus quæsitum alteri auferre posset. Cum enim res, quæ in dominio subditorum sunt, ipsorum propriè dicantur, proprium verò sit illud, cujus alienandi penes eum qui possidet, potestas est *Arist. Rhet. 1. c. 5.* necessario dicendum Principem, subditum jure quæsito & titulo legali obtento privari non posse. Grotius hanc litem *l. 1. c. 1. §. 6. & c. 7. l. 2.* distinctione expedire conatur, affirmans subditis dominium formaliter in bonis competere, Principi verò eminenter. Quæ distinctio, affirmante Dn. Ziglero in notis admitti potest si ita intelligatur ut quidem Principis omnia sint quoad plenitudinem potestatis, administrationem & protectionem, sed non quoad dominium & proprietatem *Besold. cons. 15. n. 16.* Provincia enim generaliter considerata est Principis, sed per partes considerata est in dominio singulorum.

§. VI. Alii jus quærendum quidem auferri posse concedunt, quæsitum verò nullo modo. *vid. Carpz. p. III. c. 31. d. 13. n. 8.* Verum sobriè excipiendus casus necessitatis & utilitatis publicæ, vi cujus indirectè alicui res sua auferri potest, cum melius sit in tali casu privatum, quam totam rempublicam pati *l. Lucius ff. de evict. l. si verberatum ff. de rei vindic.* Quod si verò summam Principis potestatem extendere quis velit extra necessitatem urgentem, nullum dubium est, quin non Principis, sed tyranni nomen obtineat, & hanc ob causam, ut omnem du-

rioris maculæ notam evitet, æquitati convenientissimum putant Dd. ut ad refusionem pretii teneatur. *Geil. 2. observ. 56. n. 8.* five id fiat vel à Principe vel à tota civitate ex ærario. Prius expresse volunt *l. venditor 13. §. 1. ff. commun. prad.* posterius evincitur ex æquitate *l. Rhodia de jact.* in qua id vel maximè est naturale, quod nulla pars supra modum partis gravetur, sed quilibet pro virili portione compensationem faciat, quæ in salutem omnium fiunt, & communem habent utilitatem.

§. VII. Quibus tamen non id volo, quod, ubi contra rationem privatorum aut præscriptam formam quid facit aut jubet Princeps, à quoquam is puniri possit, respuit enim hoc summa majestas: *Si ergo tibi bona aut vitam eripiat, contractum ledat? Rex est! si nocentem punit, cede justitiæ, si innocentem, cede fortuna.* Senec. 2. de Ira num. 2. Quod si verò Princeps summo suo jure, quod adhibitum in tyrannidem evaderet, uti nolit, sed vel ex æquitate juris naturalis, vel religione erga Deum se rationi subjicit, nemo tunc peccat, qui dicit, Principes quoties sive semetiplos sive per factum sui Ducis aut alium obligaverint, eos ex generali illo contractu teneri. Ubi tamen probè distinguendum esse judico, an Princeps ipsemet summum suscipiat imperium? an verò exercitium conferat in duces à sua potestate dependentes? & per tales ex data fide Principem obligari certum est: quia voluntatis nostræ ministrum elegimus; sed tamen apprimè advertendum, num ad præscriptum agat, an verò libera & ad nutum omnia faciendi potestas ipsi sit concessa: & sic etiam distinguit Cæsar Comment. *Aliæ sunt legati partes: aliæ Imperatoris: alter agere ad præscriptum, alter liberè ad summam rerum consulere debet.* Qui posterior Principes obligare potest agendo contra voluntatem eorum si-  
bi so-



bi soli significatam: quia hi distincti sunt actus volendi, unus quo Principes se obligant se ratum habituros, quicquid illi in tali negotiorum genere fecerint; alter quo Duces Principibus obligantur, ut non agant nisi ex præscripto ipsis non aliis cognito. Duos adhuc obligandi modos refert *Grotius l. 3. c. 22. n. 3.* Cæterum si Princeps læsus fuerit excedendo fines mandati, ut si Dux plus promiserit quam præstare possit, tenebitur ad æstimationem, si dolus accesserit, obligabitur de damno dato. Strictissimæ autem esse hos contractus interpretationis, quatenus eorum natura patitur, ipsa æquitas postulat, ne scilicet ex ipsorum facto Princeps obligando, aut ipsi damnum subeant officium exercendo.

## CAPUT TERTIUM

DE

### MODO SEU FORMA CONVENTIONUM PRINCIPUM.

§. I.

**R**espectâ igitur majestatis civilis obligatione in genere, necessarium est ut paucis videamus formam istius conventionis; quam Princeps in suis contractibus præstare debet. Dixi superius Principis potestatem esse liberam, & talem scilicet, quæ omnem coactionem respuit, & hinc est, quod Princeps legibus solutus dicatur *l. 31. ff. d. ll.* ne autem quicquam dissimulem videtur etiam mihi circa solennitates contractuum respectu Principis certam differentiam esse faciendam. Notandum enim quasdam solennitates ad honestatem morum pertinere, & sic omnes stringere uti est mutus

B 3.

consen-

consensus in ipso actu interveniens; quasdam verò ritus in actionibus civium observandos concernere, & de his concedere possum, legibus, quæ tales solennitates præscribunt, legislatorem non obligari. Nec enim per eas se obligare voluisse præsumitur, quippe quas subditis præscribit. Ut igitur superior est Princeps subditis suis, ita per legem istam subditorum in censum se redigere suæque legi subjicere voluisse nulla ratio svadet. *Zigl. de Jur. Maj. 29.* In iis enim, quæ sunt juris positivi Principi non est posita lex, adeoque nulla obligatio, dum & illa abrogare possit de plenitudine potestatis *l. Princeps ff. de ll.*

§ II. Jam vero Principes seculares habent dignitatem regalem perpetuam in territoriis suis, & fruuntur omnibus privilegiis ac Præeminentiis Imperatori Romano indultis *Mev. conf. 102. cum multis Dd. quos ibi allegat.* Quod usque adeò verum esse dicit, ut seculares duces habentes hanc dignitatem in suis territoriis etiam jus commune ab Imperatore constitutum tollere possint, *Paul. Cast. conf. 225. Alberic. Brun. conf. 45. n. 19. Cravett. conf. 838.* Antiqua enim jurisdictionis facies mutata & ea communicata libertas statibus, ut ipsis hæc facultas competat, & quoties contra id disponant, semper præsumatur in Principibus justa causa, modo id faciant motu proprio & ex certa scientiâ, vel plenitudine potestatis, secus si ad postulationem alterius. *Mynsing. observ. 8. cent. 4. Gail. observ. 36. n. 1. Reinking. de Regim. secul. l. 1. class. 5. c. 6. n. 7. & l. 2. class. 2. c. 10. n. 5.* Sicuti etiam quotidie in Imperio passim videmus statuta contra jus commune fieri, ut de successione ab intestato, de Testamentorum solennitatibus, & contractuum formis, de jure retractus, unionis prolium, de successione conjugum, fratrum, foro-

fororibus, modica hæreditatis parte pro dote accepta, exclusis. *Knipschild. de Jur. civit. Imper. l. 2. c. 10.* Ex quibus omnibus infertur Principes ad jus commune non allegatos, utpote dum illud mutare possunt, multo magis ad observanda solennia ex eodem jure fluentia non erunt adstricti.

§. III. Et huc etiam pertinet quod in jure Justiniano si Principi legatum relictum, ipse ante diem legati cedentem moriatur, legatum tamen non fit caducum *l. quod Principi § 6. ff. de leg. 2.* quod Princeps juxta nonnullorum sententiam, testamentum facere possit absque solennitatibus *leg. omnium C. de testam. & adire hæreditatem queat per procuratorem l. 18. ult. ff. de offic. procur. Cesar.* quod donatio pura ac simplex uxori à Principe facta valeat, licet non valeat inter cæteros conjuges *l. penult. C. de donat. inter virum & uxor. Cons. Argent. vol. II. cons. 2. n. 58.* & quod si Princeps donaverit privato vel privatus Principi, etiamsi quingentos res donata excesserit solidos, sine insinuatione sortiatur effectum *l. 34. C. de donat. Novel. 25. c. 2.* Similiter licet generaliter donatio non præsumatur, tamen si Princeps confessus sit, aliquid alicujus esse, id illi censetur concessisse & donasse. Ita etiam si nominet civitatem, quæ non est, vel aliquem sub titulo dignitatis, quam non habet, censetur velle ut tales fiant, eisque conferre jus, uti asserit multorum testimoniis *Mascardus de probat. concl. 554. fol. 337. n. 71. & seqq.* Pari ratione sigilla Principum dicuntur, sigilla autoritatum ac plene probant, etiamsi in literis non specificetur cujus sint, vel à quo apposita, dummodo ex aliis circumstantiis id possit colligi *Idem conclus. 1302. n. 11. & 51.* etiam sine partium subscriptione *Weisenb. consil. 42. n. 8. & seqq.* Quod etiam ad sigilla publica  
Episco-

Episcoporum, Universitatum, civitatum extendi docet  
*id. Wesenb. consil. 12.* cum multis quos ibidem allegat.  
 Plura exempla vid. ap. *Renat. Chopin, de doman. Franc. l. 3.*  
*c. 39.*

§. IV. Ratio harum prærogativarum nulla est alia,  
 quam quia Principis præsentia & persona omnes solen-  
 nitates supplet, & actum, qui ob defectum juris esset  
 invalidus restaurat. *Virg. ab Argeruria Ram. 21. arb. 2. in*  
*hort. jurid. Joseph. Ludov. decis. Lucens. 7.* nec non quia o-  
 mnis contractus celebratus cum eo qui potest legem  
 condere habet vim contractus & legis, unde nihil objici  
 potest. *Cons. Argent. l. c. modo adsit liberrimus utriusque*  
*partis consensus l. 1. §. pen. ff. de pact.* qui in ipso actu in-  
 tervenire debet, nec si postea interveniat quicquam prod-  
 est. Hoc enim instar regulæ ponendum, quod quoties  
 in aliquo actu celebrando consensus requiratur pro solen-  
 nitate & forma actus, non vero propter jus, commodum  
 vel incommodum; quod alicui ex contractu sine ipsius con-  
 sensu celebrato auferri vel inferri potest, ita ut hic con-  
 sensus approbationis vel confirmationis vice ad actus  
 validitatem adhibeatur: toties secundum communem  
 Doctorum calculum statuendum, consensum in ipso a-  
 ctu intervenire debere, nec si postea interveniat quic-  
 quam prodesse; quicquid enim ad formam ac solenni-  
 tatem actus exigitur, id ab actu dividi & separari non  
 potest, & propterea cum ex defectu solennitatis non  
 subsistat, non poterit altero dissentiente postea confirma-  
 ri ex interventu ipsius solennitatis. Quoties enim lex  
 certam formam præscribit, forma non servata totum a-  
 ctum corruere notum est: cum forma sit quæ dat esse  
*rei text. in l. Julianus §. si quis rem ff. ad exhibendum.*

§. V. Consequens hinc est civitatem, quæ superi-  
 orem

orem agnoscit, ac Principis Imperio subjecta, sine superioris consensu contrahere non posse. Nec aliter sentiendum de Magistratu, quippe qui & ipse subditus est, nec ipsi his juribus usurpandis ulla omnino competit potestas. Si quid ergo vel à Magistratu vel ab integra civitate citra Principis consensum cum extraneo aliquo contractum, pactum transactumque fuerit, nullam producet obligationem efficacem, non magis quam si tu de re aliena, quæ nullo jure ad te spectat contrahere aut transigere velis. Ut autem promissa & pacta Principem obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebat, aut omittendum quod antea jure poterat facere, maximè requiritur ultroneus ipsius consensus, qui sive nudis vocibus nutuque sive literis & juramento firmetur nihil interest, quoniam & verbum simplex Principis aut Comitis æquipollet juramento privati. *Matth. Coler. de process. execut. p. 1. n. 259.* ideoque quantum ad certitudinem nihil differunt à juramento: *Besold. de fœd. c. 6. n. 5. Schrad. cons. 1. n. 458.* Elegantem hujus rei rationem exhibet Albertus Megapol. dux, in relicto suo testamento, inquiens: *Je höher der Fürsten-Stand/ für andern Leuten / je mehr / auch billich auf ihr Wort zu bauen ist: Daher auch die Rechte wollen / daß eines Fürsten Zusag so viel gelte / als einer geringen Standes-Person leiblich geleisteter Eidschwur / und was ein Fürst jemand mit dem Auge zuwincket / das soll Er ihm so fest halten / als wenn es ein ander verbriefet und versiegelt hette.* *Vid. Reink. lib. 2. der Biblischen Policen Axiom. 65.*

§. VI. Hinc & omnes contractus ab illo cum privato initi, sunt contractus bonæ fidei *Job. Borcholt. cons. 7. à Princ. Besold. cons. 150. n. 27. vol. IV.* uti & Ecclesiasticorum *Nicol. Mozz. de contract. p. 26. n. 26.* tametsi nonnunquam

quam conventiones inter hostes initæ belli tempore, soleant à sævis & inhumanis belli ducibus stricte & subdole explicari, in hostium deditorum perniciem; cujus rei exemplum habuimus in Friderico Toletano, Ferdinandi Albæ Ducis in Hispania filio, qui cum præfidiarii Harlemenses milites, in Hollandia extrema vi ad deditonem compulsi, vitam pacti essent, illis, certo munimento inclusis alimenta suppeditari vetuit, vitam se illis, non alimenta, aut eorum subvectionem promississe prætexens. Verum frivolum hoc responsum Toletani approbationem non meretur, quia verbis ludi aut falli gravissimum sit, & penitus abjectum. *Menoch. l. 6. presump. 59. n. 2. Quod Myler. ab Ehrenbach Nomolog. fuse tractat. c. 2, 3, 4. &c.*

§. VII. Ex quibus omnibus porro firmiter concludo, Principem quoties semel consensit valide obligari, si saltem de alterius parte liberrimo consensu constet, quia nihil tam consensui contrarium in contractibus, quam vis atque metus *l. 116. ff. de regul. jur.* non enim quis tum libere se obligat sed propter contrarium robur, cui in latitudine opposita cedere cogitur. *Jac. Lampad. de republ. Roman. German. n. 17.* Libertatem autem arbitrii in contractibus observandam & semper respectum habendum ad salutem communem, ut re sua uti unicuique pro lubitu liceat, ipsa ratio svadet. Nunquam ergo quem cogere poterit ad contrahendum secum, quia contractus absolutæ sunt voluntatis ut toties dictum, & cum subditi propriè res suas habeant in dominio ideo quoque de illis cum quovis contrahere cogi non possunt. *Mynsing. cent. 5. observ. 27. Lancellot. de offic. prat. §. 1. n. 11. Covarruv. variar. resolut. l. 3. c. 17. nec est quod afferatur l. 3. C. d. quadrienn. prescript. ubi omnia in dominio Principis esse dicuntur, quia*

quia hoc quemadmodum intelligendum, scilicet quoad jurisdictionem, protectionem & defensionem *sup. c. 2.* dictum & abundè Dd. explicarunt. *Costal. l. idem verberat. n. 5. ff. de rei vindicat. Pruckmann, c. 3. n. 117. in §. soluta potestas. Cachera. decis. 30. n. 5.*

§. IIX. Interdum tamen Princeps non semper requirit consensum civium in quocunque negotio specialem, sed exigit debitum, ad quod quisque ex consensu generali obligatur. Iste consensus generalis perfectus colligitur, & obligatur civis, ejusque bona oppignorata censentur ad munera reipubl. præstanda, simulac se reipubl. ut membrum addixit. *Caspar. Klock. de contrib. c. 6. n. 6. & 7.* Ex tali confociatione maximum competit jus Principi in subditos *Hug. Grot. de Jur. B. & P. l. 2. c. 5. n. 23.* ut cogi possint cives qui voluntati Principis resistant, aut urgente necessitate ad rationem componi noluerunt. Ita vi hujus vinculi tempore penuriæ patriæ cogere poterit ad vendendum possessores quoscunque, non laicos solum & forenses, sed etiam clericos Episcopum & Ecclesiam: nec obstat *l. nec emere C. de jure deliberand.* ubi habetur quod nemo cogatur invitus vendere: cum hic textus casum necessitatis publicæ non supponat, judico sane quod Princeps sine omni injuria cuilibet privato etiam jus rite quæsitum pro bono publico auferre, & ad vendendum cogere possit, non obstantibus quibuscunque privilegiis. *Covar. resolut. l. 3. c. 14. n. 3. Menoch. conf. 137.* modo justum pretium fuerit solutum, textus *in l. si quis sepulchrum in pr. ff. de relig. & sumt. funer. Surdus conf. 52. n. 45.* quod in casu necessitatis constitui potest ab ipso Principe territoriali, vel ejus officialibus, quamvis paulo minus sit, quam res alias valeat, nam si tragica fames in patria grassatur vilius pretium

constitui potest modo aliqua ex parte æquivalens fuerit.  
*Bartol. l. i. §. cura carnis ff. de offic. præfect. urb. l. annon. ff. de extraordinar. crimin.* Hoc enim svadet ipsa necessitas publica, quæ uti non habet legem, ita neque cuiusdam respicit immunitatem; scilicet ea est necessitatis natura ut omnibus legibus deroget & omnem immunitatem excludat. *Wesemb. cons. 40. n. 18.* adeoque in omni dispositione & in quolibet privilegio semper intelligitur esse excepta. *Fulv. Pacian. cons. 7. n. 124.*

## CAPUT QUARTUM

PROPONENS.

### OBJECTA CIRCA QUÆ CONTRACTUS PRINCIPUM VERSANTUR.

§. I.

**D**ostquam paulo ante vidimus, quod Princeps ex consensu in quibuslibet contractibus dato, aliis obligetur, consequens est, ut paucis in specie quosdam adducamus, qui non expediti sunt juris, ita illos tractando, ut non liceat de iis dubitare. Circa contractus reales dubitatio aliqua se offert in mutuo. An Princeps frui possit beneficio Senatus Cons. Macedon. casibus; quibus illud in subditis locum habet? Et puto quod affirmandum, si Princeps in contractibus juris civilis regulas observare velit, nulla enim tum ratio svadet, ut eos in favorabilibus à jure civili exemptos constituamus. Quæritur etiam hic, an Princeps cogere subditos possit, ut mutuo dent reipublicæ pecuniam? quod regulariter negandum, nisi tempore necessitatis extremæ, & quando Princeps



do Principi nihil amplius in bonis est relictum. *Vasq. l. 1. contr. illustr. c. 6. Hering. de fidejuss. c. 8. n. 107.* quo casu etiam res sacras, quarum obligatio alias Principi prohibita, alienare poterit. *Novel. 7. Nov. 120. Auth. hoc jus porrectum & Auth. preterea C. de SS. Eccles.* quod etiam obtinet in casu redemptionis captivorum, *§. sacra 8. J. de R. D. & ejusmodi aliis, quæ ex quacunque necessitate exceptionem faciunt. Marc. Anton. de Domin. de Republ. Eccles. l. 9. c. 6. n. 45.* Circa alienationem autem harum rerum audiendus imprimis insignis ille Politicorum Princeps Savedra *Symb. 25. p. m. 118.* ita dicens: *Providentia divina dignus non est, quisquis potentia Dei diffusus in omni casu mox ad supellectilem domus ipsius adjicit oculos.* Quod etiam prudentissime observavit Rex Ferdinandus suis ministris svadentibus, ut ærarii tenuitatem thesauris Ecclesiæ sublevaret, ita respondens: *Plus ego mihi de precibus Sacerdotum, quam de divitiis eorundem polliceor.*

§. II. Deinde magna etiam agitata quæstio, quam & nos operosius tractabimus, circa pignora: An Princeps oppignorare & alienare possit bona & jura ad principatum pertinentia? qualia exempla haud pauca in veterum memoriis occurrunt. Jctos si consules uno ferè consensu negativam amplecti sententiam invenies, nisi consentientibus subditis id fiat. Est enim domanium coronæ dos regia, sunt sancta sanctorum officibus principatus annexa, & extra marsupium Principis. *Schoppin. de Doman. l. 2. tit. 1. n. 2. Hotr. quæst. illustr. 1.* Itaque si quid tale alienaverit Princeps in regni grave præjudicium, etiam si juramentum aut pactum juratum accesserit, tamen vel ab ipso qui alienavit, vel à successore quavis opportunitate revocari poterit, quia secundum juramentum priori licito juramento, quod de non alienando

quidquam è bonis principatus vel præjudicando statui præstitit, repugnat. *Jason. l. 3. cons. 7. Vasq. l. 1. qu. illustr. 4. Myl. Nomol. c. 9. n. 3.* limitationes vid. *d. c. n. 9.* Ita in Romano imperio Imperatori res imperii oppignorare aut alienare per capitulationes Cæsareas prohibitum *Capit. Carol. V. artic. 9.* Zu dem und insonderheit sollen und wollen Wir &c. adeoque vi hujus capitulationis successores semper revocare poterunt quæ ab iis vel eorū præcessoribus oppignorata & in fraudem Imperii distracta fuere. *vid. recess. Imper. de ann. 1521. §. und als wie & anno 1566. §. nach obgesetzten & anno 1582. §. wann nur eben capitul. Leopold. §. Zu dem und insonderheit.* id quod etiam de Regibus Galliæ refert *Schoppin. de Doman. Franc. l. 2. c. 1. n. 4. Matth. de afflict. decis. 240. n. 1.*

§. III. Et ex hoc solo fundamento decidenda esset quæstio affirmativè, an Princeps reluere possit castellum, oppidum &c. quod ejus præcessores ante ducentos annos oppignorarunt non obstante præscriptione, nisi doctores quoque hanc quæstionem per legitimam consequentiam, ex jure civili deducerent. Et quidem primo quod talis præscriptio prorsus careret effectu, constat ex eo quia creditor non sibi sed debitori ad præscriptionem pignus possidens, rei vindicatione & actione pignoratitia secundum communem in praxi receptam opinionem perpetuo conveniri potest per textus in *l. male C. de præscript. 30. annor. l. quod meo ff. de acquir. possess. l. 33. §. 1. ff. de usurp. Gail. l. 2. observ. 18.* pignori enim rem acceptam usu non capimus: quia pro alieno possidemus *l. 13. §. 1. ff. de usurp. & usucap.* pro alieno autem possidere & tamen sibi ex illo contra istum, cujus nomine possidet jus aliquod acquirere rationi non convenit: & certe ingens quoque inde eluceret iniquitas, quia cum plerumq;  
pignus

pignus excedat debiti quantitatem, sic fenestra aperiretur legi commissoriae, ut plus acciperet creditor, quam ei deberetur. Itaque rebus sic se habentibus creditoris pignoratitii non melior conditio erit, ac depositarii, usufructuarii vel procuratoris, qui longissimi temporis praescriptione se defendere non poterunt, sed furtum videntur facere, si incipere velint sibi possidere: *l. 54. ff. de furtis l. 2. C. de praescript. 30. ann. Ant. Fab. C. l. 8. tit. 20. definit. 19.* & secundum hanc opinionem respondetur & iudicatur tam in Germaniae, quam aliorum regnorum ducasteriis. In Germania hoc passim observari docet Henning. *Godæus cons. ult. §. 1. § 314. Schrader. l. 2. cons. 32. §. 39. Mynsing. cent. 1. decad. 4. resp. 31.* ubi refert hanc sententiam maximè Camerae Imperiali placuisse, & multa oppida ante 200. annos oppignorata, pristinae jurisdictioni cessisse, idem iudicatur secundum jus Saxon. *Const. 1. Elect. p. II. Berlich. VII. conclus. 3.* In senatu Sabaudico eadem obtinuisse refert Faber *C. d. l. in Parliament. Paris. Molinaeus de usur. qua. 61. §. 409.*

§. V. Concedo igitur oppidorum atque provinciarum alienationem non quidem obtinere in Romano Imperio nec non aliis regnis, ubi aut populi aut statuum ac ordinum voluntate regnum delatum est, qui non facile censebuntur ita detulisse summam potestatem, ut pro lubitu alienare bona regni liceat; & minus in statibus Imperii, utpote quorum provinciae pleraeque omnes feudi jure tenentur. *Theod. Reinking. de regim. secul. §. Eccl. l. 1. class. 4. §. 19. n. 41.* Cum autem multa reperiantur regna, quae sint in pleno jure proprietatis & in patrimonio imperantis, dubium non est liberam etiam de illis statuendi habere potestatem, nisi quid aliud impediatur: nec quicquam impedire censetur Principem, nisi ab initio

tio

tio certis limitibus susceperit Imperium, quod non præsumitur de regno patrimoniali præsertim de eo, quod armis acquisitum, ubi victoris proprium imponere leges, non accipere; sed de occupato regno arbitrato suo statuere, non attento eo quod Hottomanno placet, utrum civium suorum sanguine, sumptibus, periculo ac labore partum sit nec ne? Plenius hæc omnia apud *Grot. de Jur. B. & P. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 6.* Quod reliquos contractus reales spectat, circa illos nulla termè specialia occurrunt, quia Principum contractus secundum jus commune plerumque judicantur, itaque ad illud recurrendum.

§ VI. Circa verborum & literarum obligationem pauca quoq; annotanda veniunt, quod Principum nuda pacta & simplices promissiones æquè producant actionem & exceptionem quam stipulationes solennes & literarum obligationes *Petr. Wesenb. conf. 2. n. 60.* quoad fidejussiones autem, quæ species quædam stipulationis notandum, quod dissensus sit inter Dd. an Princeps quando fidejusserit pro subdito, se tueri possit beneficio excusationis? multæ rationes in contrarium non infimi ponderis adducuntur. Verum quia hoc paululum famæ Principis officeret, utpote qui ex *l. 2. §. ult. sub fin. ff. de fund. dot.* semper præsumitur esse solvendo, contrarium defendi posse Berlichius arbitratur *p. II. conclus. 24. n. 26.* qui hanc ob causam inanem & frustraneam esse putat fidejussionem, si principalis prius hoc casu excuti deberet, *add. Hering. c. 27. de fidejuss. dissent. Pruckmann. n. 119. conf. 3.*

§ VII. Deinde etiam circa illustres personas quæ ipsæ regnis aut territoriis præfunt dubitatum est, an in illis cesset Senatus consult. Vellejani beneficium? Affirmati-

mativam tradit *Ant. Hering. in d. tr. de fidejuss. c. 7. n. 520.*  
 quia is, qui illarum fidem sequitur, non tam statum mu-  
 liebrem, quam illustrem dignitatem, administrationem-  
 que per omnia virili muneri similem respexisse cense-  
 tur; nam si hæ mulieres pro tribunali sedere, jus dice-  
 re, arbitri & legati officium suscipere, adeoque omnia  
 virilia officia obire possunt. *Kirchn. de legat. c. 3. n. 37, 38,*  
*39. Jobann. Coras. l. 2. Miscel. c. 27. n. 7. & 8.* haud dubitan-  
 dum erit, si absque renunciatione S<sup>C</sup>ti Vellej. pro ali-  
 is intercedant, valide illas & efficaciter obligari. *Myler. in*  
*Gamol. c. 7. tb. 29.* maxime cum tales semper à lateribus i-  
 pfarum esse censeantur, qui illis ne impingant ac circum-  
 veniantur, præsto sint consiliis, ob quorum defectum,  
 aliæ mulieres curatoris auctoritatem adhibere debent,  
 damit sie aus Mangel guten Raths und Bedachts nicht  
 übereilet und hintergangen werden möchten. *Carpz. decis.*  
*illustr. p. III. d. 249. n. 12. & seqq.*

§. VIII. Quod vero contractus consensuales atti-  
 net, in illis consensum quocunque modo declaratum  
 observari putamus, unde fluit quod Princeps non possit  
 cogere invitum subditum ad vendendum nisi casu ne-  
 cessitatis publicæ. *vid. sup. c. 3.* ubi fusius; nec huic sen-  
 tentiæ obstat, quod ipse Deus hoc jus Principibus dedis-  
 se videatur *1. Sam. 8.* non enim ibi de jure Principum le-  
 gitimo agi credimus. *vid. Jun. Brut. in vind. cont. Tyrann.*  
 Sed quid dicendum de quæstione: an Princeps teneatur  
 vice versa subditis suis frumentum vendere, an vero  
 illud pro lubitu quocunque exportare possit? quod po-  
 steriorius affirmamus: quia cum Princeps plena regalia  
 in suo territorio possidet, libera quoque de suis rebus  
 disponendi ipsi erit relicta potestas. *Petr. Surd. decis. 2. n. 5.*  
*Anton. Faber. C. l. 5. tit. 4. & hoc ipsa l. 1. C. de commerc. &*

D

mer-

*mercat.* probari videtur ubi loquitur Cæsar de negotiatoribus ad domum suam pertinentibus.

§. IX. Quin imò Princeps legibus positivis solutus nullo jure arctari poterit, ut extra urgentem necessitatem subditum extraneo præferat, ne frumentum libere in aliena provincia distrahat: quamvis non negaverim, rectius & magis pium facere, si præ forensibus subditis vendat Princeps, cujus interfit locupletes habere cives & quovis modo prospicere, ut cum eo negotiantes emolumentum percipiant. Imo bonus Princeps subditorum commodum proprio præferre solet; & quia suorum liberam vendendi potestatem eatenus restringere queat, ne ipsis liceat vendere rem prius quam Principi fuit oblata, videtur reciprocam quoque obligationem in amore Principis fundatam esse, præcipuè quia collectas & annua onera solveere tenentur.

§. X. Ut jam taceam melius facere Principem si omni prorsus mercaturarum genere, illius imprimis abstineat, quo nonnulli etiamnum certo anni tempore ex suis horreis atque cellis singulas res ad victum & potum necessarias suo arbitrio vendentes, aliis interdiciunt publice, ne ejus generis merces venderent, omnes autem à præfectis fisci emerent. Quid hoc est aliud, quam rem privatam novo quodam monopolii genere augere, & mercimonia ad privatos pertinentia ad se rapere, quod tamen nunquam erit licitum, nisi tanta ærarii publici fuerit inopia, ut non sit, unde peti possint sumtus publici, præsertim si alias parcatur subditis, & ab onere tributorum atque vectigalium illi interim liberentur.

§. XI. Sic similiter quando publicum ærarium exhaustum est, poterit etiam Princeps officia in republ. vendere, si scilicet huic necessitati commodiori viâ occurrat.

curri

curri nequeat. Cum enim jure naturali & vigore superioritatis Princeps sit Dominus officiorum, ita ut officia vendibilia numerentur inter bona patrimonialia, seu propria, & collatio eorum sit de regalibus, adeoque fructus jurisdictionis. *Anton. Capit. decis. 27. n. 4. Menoch. l. 1. præsumpt. 97. n. 30. Ludov. Mol. de Jur. primogen. l. 1. c. 25. n. 2. Myl. Hyporchorolog. fusè c. 7. §. 23.* cur ea non poterunt pretio magis, quam prece vendi. In regno Gallico has venditiones esse usitatissimas *test. Bodin. de Hispanis nec non Italis id ipsum Vasq. l. 1. c. 43. Ernest. Gokel. c. 5. de Reg. Europ. confirmat.* Ad leges obstantes *l. nemo 6. C. de Assess. Nov. 8. & l. contra 14. C. de re militari* facilis erit responsio, quia cum dictæ ll. de provinciarum præsidibus mentionem faciunt; nihil aliud Imperator vult, quam sicut ipsemet gratis accepere officia, sic etiam ceu delegati gratis dare debuerunt. Non tamen inficias eo duo maximè esse observanda. Primò ut vendens semper illud deferat digniori. Secundò ut pretium sit moderatum, ne emtor suscepto officio multa iniquè à subditis extorqueat. Regulis his non attentis, non etiam admitto illos qui ambitione aut precio ad dignitates hasce ascendere cupiunt. Tum enim reipubl. nihil perniciosius quam Magistratum quæstui habere. Dignitas regulariter non pecunia, sed virtute emitur. Unde fit, ut pecunia non prudentia; quæstus non virtus; affectio hominis, non moderatio æquitatis in civitate regnent; & optimi Principes semper ejusmodi dignitatis ac justitiæ nundinationem, ceu omnium malorum occasionem, omnisque nequitiae principium ac terminum evitarunt.

§. XII. Quod secundum contractum consensualem, locationem conductionem concernit, unicum saltem occurrit dubium, utrum successor Principis teneatur

tur stare locationi conductioni sui antecessoris? quod non indistincte de quovis successore, sed de illo saltem, qui jure hæreditario successit in bona antecessoris, affirmandum arbitror: nam hunc teneri evincit *l. 9. C. locat. conduct.* Quamvis & ille aliquando obligetur uti constat *ex l. fin. C. de locat. præd. civil.* in qua Imperatores Theodosius & Valentin. locationes prædiorum domus illustris perpetuo jure valere rescripserunt.

§. XIII. In contractu mandati se offert etiam scrupulus, an officialis injusto Principis mandato parere debeat? Nos putamus probè distingvendos esse actus Principis, num aliquid injungat officiali quod juri naturali contrarium; & non obsequium præstandum voluntati Principis, Deus namque jus positivum subjecit quidem potestati Principum, præcepta autem quæ ex jure divino, naturali & gentium ortum habent, non subjecit, ut adeò ea, quæ præcepit executionem non mereantur. *Francisc. Amaia ad l. 2. C. ne fiscus rem quam n. 13. fin* verò mandatum Principis juri civili, utilitati reipublicæ, aut proprio commodo repugnet, differenda erit executio ad triginta usque dies *l. si vindicari 20. C. de pænis. Novell. de mandat. Princip. 17. c. 4. ibi: antequam ad nos. Novell. 84. c. 14. Menoch. conf. 98. n. 64.* Intra quod tempus si non mutavit consilium, sed post secundam informationem denuò mandet, nulla officiali se excusandi occasio erit relicta, ne tergiversatione suâ in inobedientiæ crimen incurrat. Præsumitur enim, qui bis injungit sine dubio solertius rem examinasse *Emanuel Suarez Recept. sent. lit. D. n. 275. Anton. Faber. l. 1. C. tit. 11. def. 1. n. 12.*

§. XIV. Circa ultimum contractum consensualem, societatem scil. quædam singulariter quoque notanda veniunt & quidem primo an Princeps rem communem habens



habens cum privato, invito socio illam vendere possit? regulariter negatur ex *l. Sabinus ff. commun. divid.* & tamen Principem in hoc prerogativa gaudere putat *Anton. de Petra tract. de potest. Princ. c. 25. qu. 2. n. 25. p. 501.* asserens: Principem hujusmodi rem communem alienare posse dissentiente socio: idque *argument. l. 2. C. de comm. rer. alien.* addatur *Brunneman ad l. h. ubi hanc sententiam procedere dicit, etiam si Princeps minorem partem in re hujusmodi communi habet.*

§. XV. Deinde liceat etiam hic dubitare de eo, utrum Princeps Christianus aut sui subditi cum Judæis, Mahumetanis & aliis gentilibus inire possint societatem mercatoriam? Quanquam videtur contractus societatis esse juris gentium *l. 7. §. 1. ff. de pactis §. 2. Inst. de Jur. N. G. & C.* cujus cum universum genus humanum particeps sit, iniquum esse jure gentium illos privari; ego tamen brevibus dixerim, rectius facere Principem propter periculum seductionis subditorum, & perpetuum fallendi ac usurarum studium, ut prorsus omnem societatem mercatoriam cum Judæis prohibeat ipsis injungens opificiis potius & manuariis operis victum & amictum quærere, ut diferte constitutum est in *Recessu Imper. anno 1530. §. von Jüden &c.* ubi ista verba habentur: *Sehen / ordnen und wollen Wir / daß die Jüden so wuchern / von niemands im Heil. Röm. Reich gehaußet / gehalten oder gehandhabet werden / daß auch dieselben im Reich weder Fried noch Geleith haben / und ihnen an keinen Gerichten umb solche Schulden / mit was Schein der Bucher bedeckt / geholffen werde. Damit aber dennoch ihre Leibes Nahrung haben möchten / wer dann Jüden bey ihm leiden will / der soll sie doch dermassen bey ihm halten / daß sie sich des Buchers und verbothener wucherlis*

cher Rauffe enthalten / und mit ziemlicher Handthierung  
 und HandArbeit ernehren / wie eine Obrigkeit dasselbige  
 seinen Unterthanen und dem gemeinen Nutz zum nützlich-  
 sten und erträglichsten zu seyn ansehen und ermessen wür-  
 de. Nec est, quod hac ratione Judæos jure gentium in-  
 juste privari putes, quia sua culpa per fraudem atque do-  
 lum, quæ semper ipsis solennia, se indignos reddunt;  
 nec quicquam evincit æquitas naturalis. Nam & ma-  
 trimonium est juris naturæ. *pr. Inst. de J. N. G. & C.* & ta-  
 men inter Christianos ac Judæos severe interdicitur *l. 5.*  
*C. de Judæis.* Nec jus naturale plane tollitur, quia licet cum  
 quibusdam contrahere prohibentur, non tamen ab o-  
 mni prorsus cum aliis hominibus commercio exclu-  
 duntur. Atque in hanc sententiam responderunt The-  
 ologi Jenenses apud *Georg. Dedeken. vol. II. consil. Eccles.*  
*sect. 6. n. 6.*

§. XVI. De Mahumetanis & aliis gentilibus, audi-  
 endus unicus instar omnium *Dn. Ziglerus in l. 1. de Jur. Maj.*  
*c. 41. n. 39.* ita differens: *gliscente & durante bello quod nobis*  
*est cum Saracenis & infidelibus rectè interdicitur omne com-*  
*mercium, quod sit circa res bello utiles, neque inter eos & ali-*  
*os hostes aliqua est differentia. Extra bellum tale quidem in-*  
*ejusmodi rebus commercium permitti potest; sed quia fallax*  
*plerumque est amicitia fœdus, quod cum infidelibus per pacem*  
*contrahitur, poterit Princeps ut eo magis sibi caveat negotiati-*  
*onem istam prorsus interdicare. In aliis rebus tum demum,*  
*interdicere potest, quando reipublica sua aliquod inde metuen-*  
*dum est damnum. Metus autem ille non belli tantum, sed pa-*  
*cis etiam tempore exoriri potest, quo casu ad certa tempora,*  
*& loca restringi sæpe commercia solent, uti factum in l. 4. C. de*  
*commerc. & mercat.* Hactenus ille. Subjiciendi adhuc es-  
 sent in hoc capite quarto contractus innominati. Verum  
 cum

cum nihil singulariter notandum veniat, quoties de iis  
lis mota fuerit inter Principem & alium, secundum nor-  
mam juris civilis cujus in contractibus magna adhuc est  
autoritas, præcipue si in se illud specialiter Principes su-  
sceperint, ea decidenda erit.

## CAPUT QUINTUM

DE

# EFFECTU EX CONTRACTU PRINCIPIS OBORTO.

§. I.

**S**ane ex hisce jam usque huc deductis, constare  
debet Principes interdum in contractibus aliqua  
quidem prærogativa gaudere, hoc tamen non  
impedire, quo minus dicendum, Principem ex contra-  
ctu cum quovis etiam cum subditis inito obligari, ac e-  
undem fortissimo jure servare teneri, non aliter ac  
quemlibet privatum, imo debere promissi longe obser-  
vantioem & tenacioem esse ut *Bald. in c. 1. §. 5. col. 1. n. 2.*  
*qui feud. dar. poss.* graviter censuit. Nam quamvis non  
ligetur ex lego legis *Roland. Consil. 45. n. 9.* tamen bene li-  
gatur lege conventionis & contractus. Quid secun-  
dum naturalem æquitatem magis congruit humanæ fi-  
dei, quam ea quæ semel placuerunt & in pactiones de-  
venerunt servare? ut inquit *Jctus in l. 1. pr. ff. de pact.* Si  
ergo istud est secundum rationem naturalem, quod qui-  
libet teneatur pacta servare, tunc succedit illud, quod, li-  
cet Princeps sit solutus lege positiva, non tamen est so-  
lutus dictamine rationis, cujus normam observare de-  
bet. *Bald. in repetit. in l. 2. in 9. col. de servit. & aqua.* & pro-  
pterea

pterea clarissime concludit *Bald. in l. Princeps ff. de leg. quod Princeps possit contrahere cum suis subditis, & teneatur ille eis de jure gentium & civili, quia civili rationi naturalis ratio æquiparatur l. bona fides ff. depositi, alias si Princeps ex pacto vel contractu non obligaretur, certe nec alius obligaretur Principi. Cum enim inter contrahentes relatio aliqua sit, præcipuè in contractibus διπλωματικῶν, iniquum esset, si Princeps se non obligatum, alter autem qui cum Principe contraxit, obstrictum profiteretur. Zigl. l. 1. de Jur. Maj. c. 31. n. 21. Pone, Cajum à Principe sylvam, prædium, jus venandi, aliudve emisse &c. Num putabimus Cajum ad solutionem pretii teneri, Principem verò non ad traditionem rei venditæ? Imo sunt quamplurimi, qui arbitrantur, statim in Cajum transferri dominium, quamvis non actualis traditio accesserit. Vid. *Ang. in l. fin. circa fin. ff. de rei vindicat. Parisius cons. 11. col. 7. vol. 1. quam tamen sententiam Anton. Gabr. l. 3. comm. opin. conclus. 2. n. 42. ita restringit, si quid ex mera gratia aut per modum privilegii à Principe donetur, nullam requiri traditionem, sed absolute transferri dominium, secus vero in contractu à Principe celebrato, in quo traditio sit necessaria, prout eandem limitationem sequitur etiam Baldus & Jason à Gabriel. citati. Præterea si resolutio contractus esset in manu Principis, nullus inveniretur, qui cum Principe contraheret, & sic careret omni commercio quod esset admodum grave l. hic qui C. de Apostat. Et sic omnes recte sentiunt, solam voluntatem in contractu non haberi pro causa in Principe ad resolvendum; quamvis alioquin ut plurimum sola voluntas Principis habeatur pro causa, prout hanc esse omnium consensu opinionem receptam testatur *Aymo Cravetta in tr. de antiq. tempor. part. 1. post. num. 5. Mascardus conclus. 275. n. 26. & seqq. Gabr. conclus. 1. n. 56.***

§. II.

§. II. Quæ res me movit, ut non naturaliter tantum ex contractu suo, sed & civiliter obligatum Principem dicam. Naturaliter quidem, cum Princeps sciat, justum esse servare promissa, & sola naturalis ratio ipsum compellat ad implendam fidem contractus. Civiliter verò quando Princeps ea, quæ utraq; conventionem approbantur, non subditos tantum, sed semetipsum eodem nexu & vinculo obligare velit. Sicuti igitur hoc casu contrahentem cum Principe civiliter obligari dixeris, neq; aliter Princeps ei tenebitur; non quidem ut si contraxerit, cogatur ad patiendam juris civilis executionem; sed ut de jure suo remittens se spontè legibus subjiciat, litesque, quas cum privatis sibi que subjectis habet, per Magistratus à se creatos decidere patiatur. *Zigl. l. c. tb. 22.*

§. III. Imò adeo valida quævis obligatio per Principem ex conventionem contracta, ut nec ipse nec ejus successor, sive per electionem sive per successionem adeptus Imperium, ab eâ recedere possit. *Marc. Anton. Peregrin. de Jur. fisc. l. 1. tit. 3. n. 45.* Ac quod id Franciscum II. Gallia Regem, patris sui debitum Helvetiis omni jure non spontanea voluntate, ut Bodinus statuit, reddidisse, semper putavi. Hæres enim non potest venire contra factum defuncti *l. cum à matre C. de rei vind. & l. ex qua persona ff. de reg. Jur.* quam omnium doctissime examinat *Aymo Cravetta in cons. 209. n. 2.* & successorem per electionem obligari per suum antecessorem in dignitate, testis est *Jac. Mant. de Alba in cons. 67.* ubi ait communem doctorum conclusionem esse, quod Principes habentes jurisdictionem in personas sibi subditas, quemadmodum obligent se ipsos per contractum factum cum ipsis subditis, ita etiam obligent successores suos in ea jurisdictione & dignitate: *Jason in l. 1. in 3. col. ff. de const. Princ.* dignitas enim

E

nim

nim non moritur, & ea quæ procedunt à fede sunt perennia & æterna. *Bald. conf. 159.* Si igitur quidam ab Imperatore constitutus est Dux, Marchio, Baro; non poterit eum, neque Imperator neque successor in regno postea pro lubitu devestire, atque iterum dignitatem hanc adimere, nisi propter culpam, seu feloniam. *Bald. in c. 1. in pr. de natur. feud.* ne quidem propter potestatis plenitudinem. Sed si de plenitudine potestatis auferrent alicui feudum, tenerentur vasallo ad interesse præstationem, vel ad aliud feudum æquale in bonitate & quantitate, quia in feudo est quidam contractus, ex quo ultro citroque oritur obligatio, & hæc insita natura feudi est, ut non auferatur nisi cum causæ cognitione & præstatione interesse ut voluit gloss. notabilis, & *Bald. in cap. 1. §. ad hoc invers. si verò in tit. de pac. jur. firm. in usib. feud. in c. 1. §. notandum qui feud. dar. poss. cap. un. de feud. sine culp. non amittend.* & attestatur juxta communem doctorum resolutionem *Menoch. Tom. II, conf. 103. n. 73. 74.* & *Anton. Gabr. de jur. ques. non tollend. conclus. 5. n. 37.* à qua sententia tamen si ibidem num. 40. recedere videatur, allegando quorundam auctoritates in contrarium; tamen illas non absolute sine ulla restrictione intelligendas, sed potius secundum limitationes *Rosenthal c. 7. qv. 19. & c. 10. qv. 11.* positas & solidè explicatas atque confirmatas accipiendas existimo; quia plures sunt, qui priorem sententiam confirmant quos recentet *Vultejus de feud. l. 1. c. 7. circa fin.* qui hanc ut communius receptam, ita & juri & æquitati magis consentaneam in judicando & consulendo tenendam asserit.

§. IV. Ut taceam ipsam sanam rationem svadere observantiam concessionum majorum suorum: si enim cupit, mandata sua à successoribus observari, conveniens.

ens est, ut suorum præcessorum mandatis venerationem præstet & custodiam, ut multis autoritatibus erudite confirmat *Crauet. in cons. 241. n. 117.* Accedit & hoc, quod personæ mutatio nihil minus principatum mutasse censeatur, quemadmodum iudicis iudicium vel tribunal. Natura ipsa vult, ut quem commoda sequuntur; sequantur quoque incommoda; neque audiendus is est, qui honorem & commodum quidem amplectitur, sed onus subire recusat. Quod & religiosissime observavere Imperatores Honorius & Theodosius licet absoluta potestate utebantur, *in l. fin. C. de re judic.* qua constitutum, ut gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, habeant perpetuam firmitatem, neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Similiter Imperator in *l. 6. C. de fund. patrimon.* rescripsit, fundos à Principe aut huius antecessore donatos, inconcusse possideri & ad posterios transmitti: his consentiunt rescripta in *l. 5. C. de fund. rei privat. l. fin. C. in quibus caus. colon. l. 4. C. de quadrienn. prescript.* De Imperatoribus ethnicis similia exempla apud Tacitum legimus *l. 1. Annal. c. 77.* ubi nefas habitum Tiberio, infringere dicta Augusti. Imo omnia à se facta dicta que Augusti vice legis observari, idem Tiberius asserit *l. 4. Annal.*

§. V. Hæc quæ dicta sunt de Principibus secularibus, pariter in Episcopis, aliisque personis Ecclesiasticis locum habent, præcipuè si pro utilitate aut necessitate Ecclesiæ contractum. Hinc rectè placuit *Bald. in l. cum multa C. de bon. qua liber.* quod Papa non possit vendere possessiones Ecclesiæ Romanæ in præjudicium successorum, nisi ex justa causa faciat: aliàs si non justa causa, puta causa ditandi consanguineos suos vel si alienaret contra statuta Ecclesiæ Rom. tunc successor ejus

bene posset tales alienationes injustas rescindere. Ecclesia enim est scaturigo æquitatis, quæ non vult cum alterius jactura alios locupletare per *cap. I. X. de solut. can. illud, caus. 16. quæst. 6. can. liberti 65, in fin. caus. 13. quæst.* Nec quicquam obest, quod talis prælatus non per successionem ad dignitatem adspiret, & causam habeat à præcessore, sed de novo eligatur; sufficit quod succedat in ipsum jus dignitatis *Menoch. conf. 815.* vi cuius communiter Canonistæ tradunt, quod Episcopus debeat adimplere mandatum, aut contractum factum ab antecessore, per *cap. quoniam ubi Abb. ac Felin. X. de offic. deleg. & quod literas directas, Episcopo præcessori mortuo, sub nomine dignitatis, habitoque respectu ad officium, successor illius teneatur executioni mandare aut adimplere, late Myler. Nomol. c. 10. §. 7. & cap. seqq.*

§. VI. Interim tamen non nego dari quosdam casus quibus successor contractus antecessoris sui rescindere possit, v. g. si sit celebratus contractus in maximum detrimentum Reipublicæ, veluti si præcipuam regalium partem alteri vendidisset, vel si debita flagitiosa contraxisset, v. g. pro pecunia lusu perdenda aut libidini insumenda aliisque regno nocivis voluptatibus applicanda; tunc successor præcessoris factum ut irrationabile & illegitimum sequi aut implere non debet. Talis enim contractus lædens coronam vitio nullitatis laborat, quem & ipse præcessor si voluisset, irritum reddere potuisset, nec quicquam se defraudatum quis dicere poterit, scire enim debuit, juris autoritate talē contractum improbari. *Argument. l. jure nostro 26. in pr. ff. de testam. tut. Manzius in fundament. orbis & urbis p. II. tit. 1. §. 7. n. 31.* Ex his etiam aliisq; rationibus & potissimum ob legem Salicam in Gallia usitatam reperimus, ut Rex successor  
ad



ad debita antecessorum solvenda non adstringatur, quod & curia suprema Parisiorum anno 1256. expresso decreto confirmavit, attestante Bodino & Thuano.

§. VII. Sicuti autem hoc in casu Principes, ita quoque subditos non teneri videtur, recipere in se contracta Principum debita. Principes enim negligendo officium suum, & subditorum bona inutiliter profundendo indigni sunt tali sublevamine, adeo ut collectæ eo casu odiosæ censeantur. *Regn. Sixt. de Regal. l. 2. c. 4. n. 56.* Verum licet ex rigore juris subditi ad ejusmodi debita solvenda adstringi minime possunt, tamen quia utiles Principis & voluptuarios sumtus discernere difficile, magis pie & laudabiliter fecerint, si & hoc casu facultatibus suis subvenientes, debita talia in se recipiant, quam ut obligationis suæ immemores, majestatem Principis exteris omnibus temere & multâ cum injuriâ prostituant. Vid. prolixè *Zigl. de Jur. Majest. l. 2. c. 4. n. 10, 11, 12, 13.*

§. IIX. Omnia ea quæ hætenus dicta de valore contractuum, extendi etiam possunt ad privilegia, nec non donationes per contractum initas; quotiescunque enim Principes privato cuidam, vel universitati concedunt privilegia, tunc ex illis accipientibus tale acquiritur jus, ut Principes privilegia illa justè, nisi ad certum tempus concessa vel plane publico bono perniciofa, vel si aliis modis accipientes se indignos reddiderint hoc beneficio, revocare nequeant; etiam si ex mera liberalitate collata videntur. Si enim ulli incumbit homini fidem sanctè & inviolabiliter servare, maxime id ab eo, qui in Principali constitutus dignitate, requiritur: siquidem privilegia etiam gratiosa ratione jurisdictionis & dignitatis territorialis conferuntur: Dignitas autem & jurisdictio perpetua sunt, nec morti subjiuntur *per cap. si gratiose X. de rescript. in. 6.*

§. IX.


§. IX. Idem dicendum de donationibus quod istæ semel rite perfectæ, maneant validæ & ne quidem rescripto Principis revocari queant per *cap. Abbate sane §. sed & hoc de re judic. in. 6. & §. alia Inst. de donat.* aliosque textus qui quidem privatorum saltem mentionem faciunt, idem tamen de donatione Principis intelligendum per *cap. 1. de probat.* putat *Ant. de Petra tract. de potestate Princ. p. 541.* Et hoc non solum respectu propriæ donationis, sed etiam ratione liberalitatis aut beneficii ab antecessore collati obtinere mihi persuasum habeo. Tenetur enim successor antecessoris sui facta regulariter rata habere per ea quæ sup. dixi, & plures quoque rationes adducere possemus: Sed quoniam propositum mihi haud est, amplissimam hic plene per tractare privilegiorum & donationum materiam, idcirco sufficiat quædam de iis saltem hoc loco delibasse.

## CAPUT SEXTUM ET ULTIMUM

QVÆ

### CONTRACTIBUS PRINCIPUM CONTRARIANTUR.

§. I.

 Vousque Princeps vivus, & actu imperans nec non successor decessoris obligentur in contractibus, hætenus vidimus, sequitur, paucis ut disquiramus, quæ eorum contractibus adversentur, & quando in pactis conventionibusve ad non præstandum tum suis subditis tum aliis obstringantur. Contractui Principum adversantur (1.) error & dissensus. Sicuti enim ex communi humana imbecillitate omnes in errorem induci

induci possumus, ita & Principem facile hæc calamitas premit, ut æque ac privatus in errorem labatur; Si nimirum aliud hic, aliud ille sentiat *l. 57. ff. de oblig. & act. l. 83. ff. de verb. oblig. l. 137. §. 1. eod. l. 9. pr. ff. de contrahend. emt.* Error quoque causæ conventioni nocet, adeo ut si rem mihi Princeps quasi donatam dederit, ego eandem quasi mutuum accipiam, nihil agam. Neque enim donatio neque mutuum contrahitur, neque rem perfecte meam fieri dici potest per *l. 18. de rebus credit.* quia titulus deficit, dissenso & errore impeditus; sine titulo autem dominium transferri nequit, *l. 31. de acquir. rer. domin.* Sed si res consumpta fuerit, an danti detur ejus repetitio? ad quod negative ex æquitate juris naturalis & civilis respondetur, quia secundum voluntatem Principis res consumpta videtur *d. l. 18.* Consumptio enim bona fide utentem dominum cum faciat, simul etiam ab omni restitutione liberabit.

§. II. Porro (2.) vis & metus; quia in vi & metu voluntas hominis labefactatur, adeoque non pleno jure assentitur: Unde licet consensus coactus, qui etiam aliquo modo est consensus *l. 21. §. penult. quod met. caus.* per se subsistentem contractum inducat, Prætor tamen omne, quod metu gestum, restitutione in integrum rescindit. *l. 1. & tot. tit. ff. quod met.* Illis igitur beneficiis quæ subditi indistinctè usurpant, cur Princeps non utatur? Quanquam hic primis monendum duco, plane esse abstinendum à loquendi restitutionis in integrum formula, si ita intelligatur, quasi eam impetrare deberet. A quonam enim impetrabit? cum ipse Majestate summâ plenus, neminem Superiorem agnoscat. Poterit itaque Princeps, utpote, qui naturali libertate perpetuo gaudens & à nemine superiore dependens, rerum suarum ipse sit arbiter,

arbiter, propria autoritate contractum vi metuve initum, irritum pronunciare & sibi tanquam læsæ parti restitutionem subministrare ex eo, quod videat, se non ex vitioso & jure invalido contractu ad obligationem & fidei olim datæ executionem teneri.

§. III. Longe autem alia res est cum contractibus seu pactis, quæ Princeps non cum subditis sive suis sive extraneis, sed cum hoste fecit; in iis enim si vi & metu correptus fuerit, etiam cessante publica necessitate teneri putamus. Nec adversæ partis patronis quicquam, necessitatis vis & quæ ex jure civili afferuntur, profunt. Pertinent enim non ad eum metum, quem hostis sed quem civis civi intulit; neque etiam negotia publica ex regulis juris civilis, sed ex jure communi omnium gentium definienda sunt, cui sola æquitas præscripta *Bodin. de republ. l. 5. Besold. de jur. pac. c. 6. n. 2.* ut nihil dicam de fide Principis, quæ turpissimo naufragio perit, cum tamen nulla res vehementius Rempublicam contineat quam fides, ut ait Cicero, ac pulcherrima inter mortales res sit fides, & ad continendam omnem vitæ societatem necessaria. Nec facilius infamiam incurrit, quam qui hanc læserit. O quam egregia, & magni illius Pompeji filio digna vox, Sexti Pompeji, qui à Menodoro, classis suæ præfecto admonitus, ut patris & fratris injurias in Antonium & Octavium qui in Navi apud eum cænabant, & conciliati societatem iniverant, ulcisceretur, respondit, Refer Menodoro, ei sine me id facere licere, qui jam pejerare consuevit: mihi autem nefas esse, qui fidem fallere nescio. *Plutarch. in vit. Anton.* Et Alexander Parmenioni, sibi quid quam quod præter fidem ac decorum esset, svadenti. Facerem id quidem, si Parmenio essem, verum Alexandro neutiquam licet. Malo me  
fortu-

fortunaë pœniteat, quam victoriaë pudeat. *Curt. Vid. Nic. Myler. ab Ehrenbach Normolog. cap. 8. & 9.* quo nemo pulchrius ac fufius me iudice hanc quæftionem post multos alios tractavit.

§. IV. (3.) Dolus quoque contractus facit inutiles *l. 7. pr. ff. de dol. l. 1. C. de rescind. vend. ibiq; Gothof.* Idem de contractibus Principis existimandum, dicendumque obligandi vim non habere, quia non est actus moralis, ex contrahentium prædeliberata voluntate natus, quum præsupponitur aliquod factum vel aliqua conditio, quibus non suppositis nunquam Princeps contractum initurus fuisset. Sic certum est eum qui contrahit cum minore curatores habente, illis remotis, præsumi dolose egisse, præcipue si absentiam eorum studiose procuravit ut tradit *Menochius de præsumpt. concl. 84.* nec non qui ita contrahit cum eodem sine solita affinium & consanguineorum præsentia *dict. Menoch. de præsumt. l. 5. præsumt. 3. n. 100.* Aliter se res habet si contractus dolo elicitus iure jurando confirmatus fuerit. Siquidem per iuramentum homo non homini tantum, sed etiam Deo obstringitur, qui in testem & vindicem vocatur: exceptio igitur doli non admittetur *Hugo Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 19. n. 5. & l. 2. c. 13. n. 15.* Id quod evidentissime probat exemplum Israelitarum, qui quod jurassent Gibeonitis, tenerime fidem juratam custodierunt, & postmodum, quum Saul contra datam fidem ipsis calamitatem inferret, Deus Optimus Maximus acerrimè vindicavit.

§. V. Præstitisset illis nullam dedisse, quam datam violasse. Nihil certe magis conservat salutem Principum, nihil citius conjuratorum infidias opprimit, quam facta tecta existimatio atq; majestas. Notum velim sit omnibus, quod de Coracota, latronum in Hispania  
F
duce,

duce, legimus, qui se ipsum sponte Augusto sistens, præmium ex edicto (decies sestertium enim Imperator in caput ejus promiserat) poposcit, statimque præmium & veniam consequitur. Eadem ratione Themistocles ab Atheniensibus in exilium pulsus, & ab iisdem hostili animo persecutus, à Persarum Rege, ad quem se receperat, ducenta talenta in caput ejus pronunciata, accepit. Tamen si neutri horum fides data fuisset; sed hi salva quidem religione non tamen salva dignitate, hosce nec supplicio affici, nec iis præmium denegari potuisse, judicabant. Tantum fuit publicæ securitatis, tantum fidei, tantum existimationis, ac dignitatis momentum. Unde gravissime peccarunt Romani, qui contra datam fidem Carthaginem ferro ac flammis deleri jusserunt, licet negarent: quicquam contra illam propter verborum ambiguitatem fieri. Nam ut à Bodino, qui peccatum nihil hic à Romanis putat, dissentiam Isidorus me impulit: Quacunque arte verborum, inquit, quis juret, Deus tamen qui conscientia testis est, sic illud accipit, sicuti ille cui juratur intelligit.

§. VI. Coronidis loco adhuc quæritur, an immodicas Principum antecessorum donationes in reipublicæ damnum vergentes Princeps successor revocare possit? primo intuitu valde operosa quæstio, & spinosis difficultatibus plena esse videtur. *cap. quon. de concess. præbend. in 6.* ubi traditur per donationem accipienti tale jus acquiri, ut absque summa causa auferri non possit, cum firmitas hujus concessionis etiam jure gentium subsistat. *Arriæus de Jur. Maj. l. 1. c. 7.* Contrarium tamen quod tales donationes quæ sunt noxiæ reipublicæ, à successore vel etiam à subditis revocari possint, suadet, quia antiquissimum & primum sacramentum, quod Princeps fecit, est

est id, quod reipublicæ dixit. Unde illud observare, præstat, licet per consequentiam aliquo modo privatus lædatur. Princeps enim non est ad destruendum, sed augendum natus, habentque se regna ut corpus, cui si vel auricula amputetur, monstrosum fit. *Roland. à Vall. conf. vol. 2, n. 126. Valasc. de Jur. Emphyteutico qu. 8, n. 5.*

§. VII. Quapropter certum est, quod Princeps jure repetundarum contra quoscunq; possessores agere possit, qui immodica aviditate antecessores ad donandum induxerunt. per text. aulicis formidabilem l. i. ff. ad l. Jul. repetund. l. i. C. de petit. bonor. sublat. Ut senatus Romanus olim, post mortem Neronis; ut hodie Parisiensis curia non semel. Et contra Guisios, ordines regni Gallia, repetundarum reos, ob immensas in eos à defunctis Regibus collatas donationes agere aliquando decreverunt. Princeps quidem non modo liberalis, sed & magnificus esse debet, modo in prodigum non evadat. Quia ex prodigo exactorem, ex hoc tyrannum fieri, & cum sua penitus effuderit, aliena rapere ac donare necesse est. Caligula cum paucis annis sexcentas & septuaginta tonnas auri decoxisset quas ille postea rapinas, cædes non excogitavit? Hoc enim sit fixum; cui nihil satis est eidem nihil turpe.

§. IX. Notandum tamen & examinandum ante omnia probe, num ea quæ donatione alienantur in grave reipublicæ damnum cedant. Ego puto tunc successori licitum esse non obstante quacunque præscriptione, & prætextu talem alienationem intervertere, illæsa etiam existimatione, si violentur jurisdictio, redditus notabiliter minuuntur, bona dominicalia seu territorialia alienentur. *Vid. quæ sup. cap. 4. de alienatione & oppignorat. domanii diximus.* Id ipsum etiam quamplurimi Princi-

94 11 1844

§§(44)§§

pes fecerunt jam olim. Sic enim Hispani, Regis Alphonsi Casti, qui regnum Carolo Magno ea lege ut Arabes ex Hispania expelleret, donarat, contractum irritum pronunciavere: Malle se mori dicentes, quam in Francorum degere servitute, aut per eos incolumes esse. Neque enim regnum quod jure hæreditario defertur patrimonium Principis per omnia censendum esse. Et hodierno tempore à Sueciæ Rege anno 1670. & 80. tentatum fuisse publica fides testatur.

§.IX. Hæc itaque fuerunt, quæ de CONTRACTIBUS PRINCIPUM, non decidendi sed veritatis indagandæ gratia, pro ingenii tenuitate in præsentiarum proponere animus fuit, Sed quid nunc tandem amplius? id scilicet ut imponamus dissertationi finem, modo solenni exceptione finiamus cum Carpzovio *in fine oper. ad l. reg. german. Si quid dictum aut scriptum quod Imperatori derogare, si quid dictum aut scriptum quod Principum & Statuum Imperii auctoritatem atque libertatem contrahendi imminuere possit, ne dictum esto.* Atque ita dissolvimus hunc discursum, dissolvimus, inquam, dissertationem quam rudi Minerva conscripsimus gratiis atque precibus, Deum bonorum omnium æternam fontem supplicibus votis devenerantes, ut humanissimo lectori animum nobis propitium, mihi vero divinam gratiam in omnibus actionibus benignissime largiatur.

F I N I S.

1277 MC





â Labeone i  
nem ultro c  
cam ; sed â  
onem poni  
contractus  
contractus  
id est tractat  
ter emptore  
*scind. vendit.*  
ris §. 1. *J. de*  
tractus volu  
inter actum

§. III.

ctum nihil a  
ve fynallagi  
aut faciendo  
no juris civi  
*act. l. 2. pr. de*  
*Ethic.* voce  
fus, dum ill  
tam sponta  
quoque con  
minantur c  
actio rerum  
nata dicitur.  
us esto, cont  
civilis oblig  
pacta legit  
licta & si qu  
*l. 52. de re ju*

§. IV.

onis suæ, ne

r obligatio.  
seu recipro.  
co obligati.  
est effectus  
or, tum quia  
*curat. furios.*  
ialis v. g. in  
*od si C. de re*  
facti, sed ju  
onem con  
differentiam  
re.

ant, contra  
um causa si  
uper dando  
e sine exter  
*ff. de oblig. §.*  
: *Arist. l. 5.*  
atius est u  
contractus,  
ut delicta  
atientis no  
*de re judic.*  
d est, delicto  
onibus sati  
ctu, ex quo  
non solum  
i. sed & de  
mprehendit

e originati  
Commu  
niter

